Universitätsbibliothek Paderborn

Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

Lanuza, Jerónimo Bautista de

Antverpiæ, 1649

Svmmarivm Homiliæ Trigesimæ Seqventis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-53104

Visual Library

numquam legeret poterit: credere neceſſarium
eſt illi, vt videat & intelligat.
De hoc argumento perdoctè diſcurrit Theo-
doretus, probatque ex ipſis Philoſophis; primũ
ſciendi principium eſſe, credere: dumque Socra-
tes Alcibiadem inſtrueret, qualiter ſe ad ſcien-
tiam diſponeret, hanc illi primam præſcripſit le-
ctionem, vt crederet, & de ſe hoc opinaretur,
Theod. quod nihil omnino ſciret: *Principium, ſcientia*
L. de curãdis græcanicis affectionibus. *eſt, cum neſcire te ſcias.* In cuius confirmationem
alias adducit Platonis, Biphei & Euripedis in-
ſtructiones &c. Expendit D. Auguſt. quàm dif-
ferenter ab Apoſtolis locuti ſunt Iudæi: hi nam-
Tract. 7. in Ioan. que vt increduli quærunt: *Quod ergo tu facis*
ſignum vt videamus & credamus? Verba ſunt
Ioan. 6. 30 hæc Iudæi increduli, velle cognoſcere, vt cre-
dat: *Vt videamus & credamus.* Cæterum D. Petrus
Ioan. 6. 70 in propria & Apoſtolorum perſona ſic ait: *Nos*
credimus & cognouimus. Credimus & hæc via
fuit mediumque ad cognoſcendum, *Et cognoui-*
D. Prosp. *mus. Non fides ex intellectu* (aſſerit D. Proſper
Aquita. Aquitanicus) *ſed intellectus naſcitur ex fide.* Pro
L. de vita contemplatiua c. 19. huius Doctrinæ confirmatione occurrit mirabi-
lis illa hiſtoria, quam nobis ipſe tradidit D. Ioan.
Chriſto à mortuis reſuſcitato, Apoſtoli noua
hæc lætaque nuntia à mulieribus intelligentes,
ad ſepulchrum feſtinatò cucurrerunt D. Pet. & D. Ioannes in itinere pari gradu procurrebant, ſed D. Ioannes curſu Petrum poſtpoſuit, porrò monumento appropinquans ſubſtitit, locumque ceſſit D.ᵒ Petro, vt primus intraret, & videret linteamina ac ſudaria, quæ mortuo ſepultoque ſuperfuerant: quibus omnibus à D. Petro diligenter inſpectis poſt illum D. Ioannes ingreditur. Nemo negat D. Ioannem præfigurare cognitionem, cui reuelata ſunt ſecreta cœleſtia & per Diuum Petrum fidem intelligi: quia in ipſo eiuſque fide Eccleſiæ fides innititur. In itinere vitæ communi, præcedat Diu. Ioannes: ipſe namque eſt intellectus & diſcurſus naturalis, non autem de rebus iudicium ferat, niſi illa prius intelligat: porrò ad ſepulchri profundi myſteriorum cœleſtium ingreſſum, pedem figat ſiſtatque ratio, nec non humana cognitio: det verò locum fidei, quatenus illa prior ingrediatur, & iuxta eius ſententiam credat quidquid illi dixerit: hoc etenim modo via pandetur in hac vita altiſſimæ cognitionis myſteriorum cœleſtium per gratiam, & in altera eaque ſempiterna euidenti eorumdem cognitioni per gloriam, Amen.

SVMMARIVM

HOMILIÆ TRIGESIMÆ SEQVENTIS.

ENARRAT nobis D. Ioannes Euangeliſta prodigioſum à Chriſto pa-
tratum opus, cœcum à natiuitate illuminando. Duobus articulis com-
prehenditur: quibus duo prætendit declarare ac confirmare, quæ de
Chriſto in principio ſui Euangelij pronuntiarat: Primum, quod ipſe
lux ſit lucens in tenebris: *Lux in tenebris lucet.* Secundùm, quod illam te-
a §. 1. 2. nebræ comprehendere non potuerint. *Et tenebræ eam non comprehenderunt.* *a.* Primò
demonſtrat qualiter in huius cœci tenebris Chriſti lux reſplendeat, qui ſe Patri ſuo
b §. 3. fidelem oſtendit. *b* & verum Deum in multis, Primùm: quoſdam illuminando, alios
c §. 4. autem in tenebris relinquendo. *c.* Secundùm: oculos in paupere ſtatuendo. *d.* Ter-
d §. 5. 6. 7. tiùm: ſecurè declarando cœcitatis huius rationem, de qua varium ferunt homines
e §. 8. 9. 10. 11. 12. iudicium. *e.* Quartùm: operando Patris ſui opera, quamdiu eſt in mundo. *f.* Quin-
f §. 13. 14. tùm: conferendo viſum re tantopere illi contraria, qualis eſt lutum. *g.* Sextùm: hoc
15. opere cum luto cœcum illuminandi, redemptionis opus declarando, *h.* illuminatio-
g §. 16. nis mundi, Sacramentorum, & veritatis doctrinæ ſuæ Euangelicæ. *i.* Septimùm: quod
h §. 17. luto oculos liniendo, conſolationem impertiret, effectum Dei manibus proprium *k.*
i §. 18. Octauum: ſeipſum in fonte Siloë, eiuſque aquis deſignando. *l.* Secundò proponit E-
k §. 19. 20
l §. 21. 22. uangeliſta,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

uangeliſta , qua ratione tenebræ lucem impugnare contenderint, nec tamen illam
comprehendere potuerint; quandoquidem inimici eius omnes neruos intendentes, vt
lucem illam hoc in opere effulgentem obnubilarent, nihil effecerint, quinimo ipſa
multò clariùs reſplenduit. *m*. Vnde, qui operi huic initium dedit, dedit & perfectio- *m* §. 23.
nem, in anima cœcum illuminando, ſicut in corpore prius illuminauerat. *n*. 24.
n §.25.

§.1. *Declarat probatque D. Ioannes hâc hiſtoriâ verba quæ priùs dixerat:* Lux in tenebris lucet, & tenebrę eam non comprehenderunt.

§.2. *Magnum eſt hoc opus, quandoquidem dicat Chriſtus, quod cœcum illum ad hoc creauerit, vt manifeſtarentur opera Dei in illo.*

§.3. Et præteriens. *Non mouent Chriſtum lapides, vt Moyſen, ſed nec te mouere deberent, ſicut nec aquæ amaræ mulierem viro fidelem.*

§.4. Et præteriens. *Chriſtus vt Deus quoſdam illuminat, alios in cœcitate præteriens, à quibus tranſit, ſicut de montibus Gelboë pluuia.*

§. 5. Præteriens. *Qui tranſiens talia confert dona, quid faciet, in quo diu reſederit?*

§. 6. Vidit hominem cœcum. *Homines tantum oculos deſigunt vbi ſit aliquid concupiſcendum: per illos ſe declarabit hominem Antichriſtus, ſicut ſe Deum Chriſtus per ſuos.*

§.7. Vidit hominem cœcum. *Oculi Chriſti ſunt ſpiritus viuificantes in eum directi, qui illum non videbat; declaratur opus iuſtificationis.*

§. 8. Vidit hominem cœcum. *Perpende, quod cœcus ſit homo, quocirca tanti faciendus quanti refert Iſaias.*

§.9 Vidit hominem cœcum. *Siſtit, intuitus pauperem, in quo ſe Chriſtus ſtatuit, vt illi tribuas, ſicut in veni Sacramento, vt ipſe tribuat.*

§.10 *Oſtendit ſe Chriſtus Deum: declarans huius cœcitatis rationem: hic caſus ſoli Deo reſeruatur.*

§.11. Neque hic peccauit: *Deus auctor malorum pœnæ aliquando infligit illa ob peccata, aliquando vero in beneficium, quale æſtimauit cæcitatem Democritus.*

§.12. Neque hic peccauit. *De tribulationibus tuis hoc iudica, quod ob tua tibi peccata contingant: de alienis verò, nequaquam: de quo præclarè nos monet Iob.*

§ 13. Neque hic peccauit. *Reſpondet Dominus, aliena non reuelans peccata, docetque quod dum iaces infirmus, aptus ſis, vt in te Deus operetur.*

§. 14. *Diuinam ſuam virtutem Chriſtus declarat & qua ratione duo ſua compleuerit officia; Magiſtri in vita, & Redemptoris in morte.*

§. 15. Me oportet operari: *Cuique conuenit ſua opera facere, & ei qui communicat expendere illud Domini:* Quamdiu ſum in mundo.

§.16. *Deum ſe oſtendit, quia per contraria media operatur, tanquam Dominus naturæ, ſicut in Mara & in ſerpente.*

§.17. Fecit lutum. *Opus hic declaratur Redemptionis & id quod ait D. Ioannes.* Quod factum eſt ipſo; vita erat.

§.18. Manifeſtentur opera Dei. *Declaratur hic opus illuminationis mundi, & Sacramentorum nec non doctrinæ veritas Euangelicæ.*

§.19. Et liniuit oculos. *Dum Dominus oculos linit, ita demulcet, & afficit, vt impleatur illud:* Centuplum accipiet: *vt patuit in Arnulpho.*

§.20. Et liniuit oculos. *Applicat Chriſtus medicinam vbi eſt infirmitas: ſic faciunt fortes Iſrael & ſponſa.*

§.21. Natatoria Siloë quod interpretatur

miſſus. *Exponit D. Ioannes nomen fontis Chriſto conueniens, propter ſeptem ſingulares proprietates.*

§. 22. Vade laua &c. *Vadit cæcus ad aquas Siloë: non enim ſine illis ſufficit lutum, & tres oſtendit virtutes, bonumque remedium.*

§. 23. Adducunt eum ad Phariſæos. *Tranſit D. Ioannes vt oſtendat, quòd tenebræ lucem non comprehenderint, imò ſuperatæ ſint, & ex proceſſu quem inſtituunt, eorum conuicta ſit pertinacia.*

§. 24. Da gloriam Deo &c. *Verbis aſtutis peruertere conantur cæcum: ſed eos ipſe confundit, mereturque vocari Proto confeſſor.*

§. 25. Inuenit eum in templo. *Chriſtus, qui opus incæpit, ipſe perficit, dando illi velle, & perficere, vt ait Apoſtolus, & profundâ Theologiâ ſponſa declarat.*

HOMILIA XXX.

DE CÆCO ILLVMINATO.

Quarto die Mercurij Quadrageſimæ.

Præteriens Ieſus vidit hominem cæcum à natiuitate & interrogauerunt eum diſcipuli eius &c. Ioan. 9.

☞ 1 DIcat Redemptor ac præceptor noſter, die Mercurij elapſo conſilium nobis dederit, ne cœcum in ducem caperemus, etenim in foſſam cadens nos ſecū in eandem traheret: *Si cæcus cæco ducatum præſtet ambo in foueam cadunt.* (Matth. 15. 14.) Nihilominus dilectiſſimus illi diſcipulus D. Ioan. hodie nobis vnum proponit, quem tutò ducem poſſimus eligere: licet enim cœcus ſit, & quidem ab incunabilis, adeo tamen perſpicaci pollet viſu, vt ipſos maximè lynceos ſuperet, ipſeque ſolus clariùs multò videat, quàm omnes vrbis Hieruſalem ſapientiſſimi: qui mundi totius cenſebantur oculi· qui namque in eius principio de nihilo produxit cœlos, ſolem, lunam, ſtellas tanto lumine ſplendidas, quantum noſtris oculis conſpicimus, nunc in ſui principio Euangelij de luto in huius facie binos efformauit ſoles claros adeò vt obtenebrent nedum veſpertilionū oculos, ſed etiam aquilarum lumina lucidiſſima, & quo attentiùs illos conſiderant, eò tenebris profundiùs inuoluuntur.

(Lib. qq. in Exo. q. 154 Exo. 33. 15) Opinatus eſt D. Auguſt. quòd opus illud inſigne, quod Dominus ſpectante Moyſe dignatus eſt operari, non tantum conſiderari debeat vt ſimplex hiſtoria, tunc temporis tranſacta, quantùm velut excellens quædam prophetia Chriſti tempore adimplenda. Deprecatur Moyſes Dominum, vt diuinam illi faciem oſtendat Hoc nequaquam, ait Dominus, neque enim talem ferunt mortalium oculi viſionem; hoc tibi concedam, vt poſteriora mea videas: *Faciem meam videre non poteris poſteriora mea videbis* (Exo. 33. 20) quia verò ad hoc oculi requiruntur illuminati, coram te tranſibo & ponam manum meam, eiuſque vola tibi oculos contegam. Sic legunt Hebræi: *Ponam volam manus ſuper oculos tuos.* (Exod. 33. 22.) Quo fiet vt lynceis reddantur perſpicaciores. Et factum eſt ita: tranſiens namque Dominus, intuitus eſt Moyſen: *Tranſeunte Domino* & manu ſua Moyſi oculos contegens, illos reddidit adeo lucidos, conſpicuos, ac venuſtos, vt ex illis eiuſque faciē tam ſplendida radianſque lux proſiliret, vt primates Iudæorum, non parua caperet admiratio: *Videntes ſeniores claritatem vultus eius, admirantes timuerunt valde.* (Exod. 34. 33.) Adeoque eorum oculos perſtrinxit egreſſa de facie Moyſi claritas vt illam intuentes obtenebrarentur: *Non poterant intendere in faciem Moyſi, propter gloriam vultus eius:* (2. Cor. 3. 13.) Fuit igitur neceſſe, vt illis Moyſes velum ſuperpanderet.

O mi-